IN FUNERE
LUDOVICI XIV.
CHRISTIANISSIMI GALLIARUM REGIS
ORATIO
Habita in Pontificio Quirinali Sacello, cùm eidem ix. kal. Februarii parentaretur

AD SS. DOMINUM NOSTRUM
CLEMENTEM UNDECIMUM
PONTIFICEM MAXIMUM

A VINCENTIO ALAMANNO
PATRITIO FLORENTINO
Sacri ejus Cubiculi Honorario, & Lateranensis Ecclesiæ Canonico.



ROMÆ M DCC XVI.
Typis Jo: Mariæ Salvioni in Archigymnasio Sapientiæ.

SUPERIORUM PERMISSU.

CLEMENTI XI.
PONT. MAX.

VINCENTIUS ALAMANNUS
FELICITATEM.



Um primùm, BEATISSIME PATER, *ea mihi provincia demandata est, ut in funere, quod*

quod Romana Pietas LUDOVICI XIV. Francorum Regis Christianissimi memoriæ, gloriæq; SANCTITATIS TUAE jussu celebratura erat, eximias tanti Principis laudes cum lugubri cæremonia conjungerem, intellexi quidem plus mihi oneris imponi, quàm ferre possem. Sed cùm ab hac tua voluntate mihi liberum non esset discedere, industria quadam, & consilio imbecillitatem ingenii mei adjuvare conatus sum. Selegi enim ex ejus maximis, clarissimisque virtutibus colendæ Religionis studium, unde cætera Christianæ, solidæque dignitatis ornamenta profluunt; cujusque splendor in præstantissimo Rege clarus adeò,

at-

atque illuſtris fuit, ut nulla orationis luce augeri queat, nullis ejuſdem tenebris obſcurari. Quis ergo mihi ſuccenſeat, ſi hoc uno reliquarum virtutum fonte in omnium oculis collocato, cæteras ſingillatim referre, quod ſanè immenſæ molis fuiſſet, omiſerim; aut ſi argumento pro ſua magnitudine non ſatisfecerim, in quo pertractando, vel oratores diſertiſſimi ſuccubuiſſent? Quamquam, ut in hujuſmodi re mihi prorſus, & LUDOVICI laudibus cautum foret, Tuo, BEATISSIME PATER, *exornata Nomine in lucem prodit Oratio. Hinc enim amplitudinem mutuata, regiis virtutibus haud impar haberi poterit, iisque*

vel cum fœnore tantum reſtituit decoris, quantum Oratoris tenuitas detraxit. Nec tamen quidpiam alienum à tua voluntate geſſiſſe puto: ſiquidem compertum habeo, qua humanitate eos omnes complectaris, qui ſtudio amplificandæ Religionis incenduntur; & qua benignitate Regem illum ampliſſimum hoc nomine celebrares, ac ſingulari, verèque paterno amore proſequereris: ſimul & illud intelligebam, quanta ille viciſſim veneratione Te Supremum in terris Eccleſiæ Caput coleret, palàm profeſſus, ſe in Religionis negotio nullius operam, accuratam quamvis, & diligentem, probaturum, quæ Sanctitati Tuae *pro-*

probata

bata priùs non esset: sapienter existimans nulla ratione alia Orthodoxæ Fidei dignitati, & securitati consuli meliùs posse. Id me poterat duntaxat ab usurpandi Sanctissimi Tui Nominis audacia deterrere, ne scilicet dolorem tuum refricarem; & qui pridem aures tuas mœstitiâ impleveram, nunc oculis non parcerem. Sed cùm scirem LVDOVICI jacturam hærere Tibi altiùs in pectore, quàm ut cujusquam oratione profundiùs infigi possit, metum omnem statim excussi, curaviq; ut ejus laudibus Tuo gloriosissimo Nomine consecratis, non parum indè splendoris ad earum immortalem gloriam accederet.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendissimo Patri Sacri Palatii Apostolici Magistro.

N. Cardinalis Caracciolus Pro-vic.

IMPRIMATUR.

Fr. Gregorius Selleri Ordinis Prædicatorum, Sacri Palatii Apostolici Magister.

ORATIO.



UDOVICUM XIV. Francorum Regem Christianissimum, quem universa plaudente Ecclesia tanquam Cœli munus Gallia nascentem exceperat, humana lege nuper extinctum, acerbissime dolemus, BEATISSIME PATER. Vix enim ad nos perlato tantæ jacturæ nuntio ita subito quodam, ac inusitato dolore correpti fuimus, ut nemo nostrûm non fuerit, qui LUDOVICUM extrema licèt senectute confectum, ut præcoci quidem funere ereptum non conquereretur: qui Catholicæ Religionis, qui hujus S. Sedis durissimam vicem vehementer non lugeret. Hoc siquidem lethali vulnere quis non videat Orthodoxam Religionem ab illa spe magnarum rerum esse dejectam,

quam in LUDOVICI præsidio tutissime collocaverat, Romanamque Sedem Filio charissimo orbatam, cujus amore, atque auctoritate, ingruentibus undique malis velut obsessa, fidentissime nitebatur. Quare, quum illo a nobis avulso, iis nos bonis omnibus spoliatos esse comperiamus, ad quæ speranda divinus prope ejus ortus animos nostros erexerat, quæque ipse, dum viveret, cumulatissime præstitit: nulliusque sit tanta animi vis, atque robur, ut hac ingenti calamitate non labefactetur, ac penè concidat; non est, ut aliquam dicendo, quod fieri solet, dolori vestro medicinam adhibere, vobisque clarissimi Regis desiderium lenire possim. Quæ igitur in tanta omnium Ordinum tristitia meæ partes erunt? Eæ profectò, ut cùm vos nequeam ab extremo luctu deducere, salutari quodam consilio altiùs illum animis vestris infigam; quo admonente sæpius vos subeat, maneatque sem-

pi-

piterna tanti Regis memoria, ut eam, nunquam obducta cicatrice, immortali grati animi benevolentia, lachrymisque prosequamini. Sic enim non hodie solùm, non in hac una suprema Religionis Sede, sed per omnem ætatem, ubique locorum, ut ejus decet amplitudinem, maximaque in Christianam Rempublicam merita, summo Principi parentabitis. Quod utique facilè me arbitror consequuturum, si præstantissimis ejus virtutibus commemoratis, vobis ob oculos ponam, quanto ipsarum splendore universus terrarum Orbis collustratus fuerit; qua dignitate, ac præsidio, iis ob Regis mortem extinctis, sit destitutus. Verùm, quum tantæ fuerint, ac tam illustres, ut quæ divisæ vel maximos Viros honestare possent, eæ simul omnes ad eximium Regem ornandum conspiraverint, atque adeo nequeant brevibus Orationis finibus contineri, multæ mihi necessariò prætermit-

mittendæ ſunt , juſtaque plurimarum querela ſuſtinenda, qua ſe præteritas doleant. Itaque nihil dicam de Juſtitia illa admirabili, atque Prudentia, quibus tanquam adminiſtris diutiſſime, ac feliciſſime Regnum gubernavit, atque in negotiis tum domeſticis, tum externis peragendis ita ſe geſſit, ut ſibi fere omnia e ſententia ſuccederent. Tacebo de Fortitudine, ac Magnanimitate, quibus in tot, iisque difficillimis bellis adeo præfulſit, ut plerumque obnoxiam ſibi reddidiſſe Fortunam videretur. Mittam explicatum in publicis operibus, in regiis Ædibus, in omni apparatu ſplendorem: ſuſceptum Diſciplinarum omnium, bonarumque Artium patrocinium: longe diſſita maria (Natura ipſa, penè dixerim, non tam ſtupente, quàm invidente) ductâ a Garumna ad Setium foſsâ, conjuncta: furorem ſingularium certaminum coercitum: Provincias ab injuriis Potentiorum

rum vindicatas : jura ad uberiorem populorum tranquillitatem emendata ; neque verò incredibilem ejus constantiam, in adversis rebus (quæ in conspectu immensæ felicitatis acriores fiunt) dicendo percurram , qua una, dum cæteris virtutibus reliquos vicerat , se ipse vicisse visus est . Totum enim ad se me rapit Religio , quæ tantùm se quodammodo super reliquas effert , quantùm Deus ipse hominibus antecellit,quamque aliarum omnium laudes complecti , nemo est, qui non intelligat . Huic sive in tot florentissimi Regni sui Provinciis vindicandæ , tuendæ , asserendæ : sive per omnes terrarum plagas officiis , ope , auctoritate dilatandæ , protegendæ, muniendæ, eo studio , cura , vigilantia semper LUDOVICUS incubuit, ut jure , ac merito maximi ex omni temporum memoria Regis nomen adeptus fuerit , seque Dei immortalis munere datum nobis olim fuisse amplissimis

rebus geſtis comprobaverit.

Dum verò de ipſa LUDOVICI Religione dicere incipio, quàm horrida mihi ante oculos obverſatur Regni ſpecies a Calviniana,& Janſeniana Secta miſerè diſtracti? Clam in Galliam irrepſerat, (ut de hoc primùm verba facere aggrediar) Calvinianum Monſtrum; ſub Franciſco Primo novitatis lenocinio turbulenta ingenia, ut ferme ſit, occupaverat: legum contemptu, morum licentiâ devinxerat: pertinaciâ denique confirmaverat. Non tamen Franciſco, atque altero Henrico Imperii habenas moderantibus tantas adhuc vires collegerat, ut palam cervices erigere, bellum indicere auſum fuerit. Delata deinde ex ordine ad tres Henrici Filios regnandi auctoritate, dum ſæpius variat Aulæ fortuna, diſſidentque inter ſe Procerum animi, occaſionem, audaciſſimosque Duces adeptum e latebris erupit. Tunc enimvero, quæ ſacrarum rerum direp-

direptio, populorum clades, animorum tumultus? Quantam illud non minus ſacroſanctis Eccleſiæ inſtitutis, quàm florentiſſimo Regno vaſtitatem intulit? Cædem anhelans, truci vultu, furorem oculis ſpirans non per omnes modò Provincias, non per ſingulas Civitates, ſed per cunctorum propemodum Lares volitavit, exorbuit civilem ſanguinem, infinita exſaturavit ſe populorum ſtrage. Cohorruit Gallia, cùm vidit non ſemel Regiam Majeſtatem a furentibus Hæreticorum copiis in diſcrimen adductam: ingemuit dejectas Aras, everſa Templa, dirutas Urbes: lachrymis proſequuta eſt Sacerdotes mactatos, Sacra omnia ferro, ac flammis abſumpta, Divina, Humanaque jura violata. Attamen Regibus avitæ licèt pietati addictiſſimis non fuit tantum roboris, ac nervorum, ut potuerint improbę Sectæ audaciam frangere, furorem extinguere. Nam quoties adversùs iſtam moverunt arma

Ca-

Carolus Nonus, ac Tertius Henricus, nec leviter immanem Hydram perculerunt; ſed hæc poſtea refectis viribus convaluit adeo,ut ab Henrico Quarto eximiæ quamvis fortitudinis Principe iniquæ conditiones ad redimendam communis otii ſecuritatem extortæ fuerint. Siquidem uno Nannetenſi Decreto centum perduellibus Urbes conceſſæ,datę Munitiones,pecunia ad alendos Milites, atque impiæ profitendæ ſuperſtitionis venia confirmata. Sed cùm mitioribus remediis exaſperari potius vulnus videretur, atrociora adhibuit Ludovicus Tertiusdecimus; comparatoque exercitu, ereptis Urbibus,ac Munitionibus,excisâque,penè inexpugnabili oppido, Rupellâ, poſt diuturnum bellum affulgere ſpes aliqua ſalutis viſa eſt. Verùm cum lues mortifera in medullis, ac viſceribus immenſæ multitudinis hæreret, affectam Regni partem ad ſanitatem reducere nequaquam potuit; nam & nefaria

faria templa, ut antea, permiſſa, & libere ſuo more vivendi facultas, cogendi cœtus, virusque effundendi ſuum non eſt adempta.

Unus hoc præclariſſimo triumpho honeſtandus erat Quartusdecimus LUDOVICUS, iſtoque dato eximio Eccleſiæ beneficio immortalitati commendandus. Itaque, ut olim iniquo Idolorum cultu contaminatâ Judæâ, fœdato prophanis ritibus Templo, impiis ſacrificiis Altari, ſolus e generoſa illa Machabæorum Stirpe Judas inventus eſt, qui nullo commotus periculo Idola comminuerit, ex omnique Provincia exulare juſſerit ſuperſtitionem; non alius pariter, quàm LUDOVICUS deturbandâ penitùs e nobiliſſimo Regno Calvinianâ Hæreſi ſuperiorum Regum gloriam longo intervallo ſuperavit. At quantâ iſtud ſapientiâ, quantâ ſolertiâ, quanto animi robore, ac magnitudine ad optatum exitum perduxit?

xit? Cum ipſi per ætatem licuit Imperii clavum per ſeſe moderari, confeſtim illuſtres genere, diſciplinis, aut ſcientiâ militari viros,ut ſe ad rectam Fidem inſtruendos traderent, præclaris benevolentiæ, ac munificentiæ argumentis illexit: redeuntes ad bonam frugem non modò honoribus, opibusque affecit, ſed tanta excepit voluptate, ut quas illi lachrymas non maxima Regni infortunia, non invida, & immatura morte divulſi e regio ſinu tot egregia indole Principes, non ullus ſecundarum rerum eventus moverat, eas ſummum iſtud gaudium expreſſerit: Epiſcoporum pietatem, & vigilantiam orando, admonendoque excitavit, ut Oves a Grege aberrantes ad Eccleſiæ ſinum revocarent: ſacris divinarum legum Præconibus,ut per omnem obſcuram licèt, ac fere inviam Regni partem veræ Fidei lucem diffunderent, imperavit; idque ſedulò ab iis perfectum eſt, non modò propter inſi-

insitum ipsorum animis curandæ alienæ salutis desiderium, sed quòd exploratum haberent, hanc unam ineundæ a Rege gratiæ rationem esse certissimam, si quis pro Religione operam suam impenderet. Hinc oppida turmatim, atque integræ Civitates (ut uno verbo dicam) vicies centena Civium millia divino Lumine illustrata, deducente Regis pietate ad Romana Claustra, unde prius avulsa fuerant, convolarunt. Qua verò proborum omnium gratulatione, quo plausu excepta, quibus etiam præmiis, ac privilegiis aucta? Cum enim hujusmodi illecebris facilè capiantur Mortalium animi, has omnes potentiæ, ac beneficentiæ regalis opes ad bene gerendam, fovendamque Christianam rem LUDOVICUS liberalissime effudit. Qui autem ad hæc non imperantis Regis, sed prope orantis monita obdurescerent, eos metu, minisque paulatim concussit, honoribus exuit. In Forum invo-

volaverant ſceleſtis opinionibus quamplures imbuti? puduit LUDOVICUM, arbitros vitæ, ac necis ſedere, jusque dicere in Chriſtianiſſimo Regno, qui divinis Legibus non parèrent: loco movit, privatosque eſſe juſſit. Ad ampliſſimos dignitatis gradus obrepſerant? disjecit: primos Aulæ honores occupaverant? nullum ſibi deinceps familiarem, Aulicumque voluit, qui ſupremo Numini rite non inſerviret: regiis copiis, arcibusque præerant? ſuæ vetuit militiæ nomen dare, qui Eccleſiæ signa deſeruiſſet. Magna iſta quidem, ſummisque laudibus celebranda, quæque ingentem animi firmitatem, ingenii vim, rei gerendæ ſagacitatem deſiderent. Quis enim eſt adeo præteritorum temporum oblitus, adeo rerum ignarus, qui neſciat, quàm operoſum, & quantæ molis ſit, perditiſſimæ Sectæ homines non ſolum ſententiis, ſed voluntatibus inter ſe arctiſſime conjunctos; & proin-

proinde ſic inſtitutos, ut privatam ſingulorum ærumnam univerſæ Sectæ calamitatem eſſe putent, in ordinem cogere, honoribus dejicere, & corroboratæ auctoritatis nervos incidere? Sed expectate longe majora; nam cum probè Rex intelligeret, ita plerumque naturâ comparatum eſſe, ut homines quandiu impune mali eſſe poſſunt, quandiu eorum impietati leges ipſæ patrocinantur, nunquam ab errore, in quem inducti ſemel fuerint, abducantur, ad immeritum hoc, & ſplendidum patrocinium abrogandum, quo velut armata erroris perfidia fulciebatur, animum adjecit. Sicut enim nulla ſævit pernicioſior lues humanis corporibus, quàm, quæ aeris, ciborumque malignitate hauritur, quibus providæ Naturæ beneficio alimur, & conſervamur: ſic utique Sapientiſſimo Regi compertum erat, nullum gravius unquam malum poſſe Reipublicæ accidere, quàm quod publicæ Le-

ges, unde omnis ducitur civilis vita, non ſolum invehunt, ſed tuentur.

Res enimvero periculo, ac difficultatibus impedita videbatur. Quippe unuſquiſque proſpiciebat animo, plurimos fore, qui Patriam mallent deſerere, quàm iniqua dogmata: ingentes divitias extra Regni fines aſportaturos: finitimas Hæreticorum gentes, & arma in Galliam conjurata imploraturos: artem, vim, deſperationem adhibituros, ut a propoſito, Regis mentem deducerent: ſic belli, atque ærarii nervos imminutum iri: ſic Regni pacem, & concordiam ad priſtinos bellorum civilium tumultus certiſſime revolvendam. Hæc aliaque id genus in hominum ore verſabantur, quæ vel magnos animos conturbare, ac frangere potuiſſent; ſed, ut ſaxum irati maris fluctibus verberatum, immotus ſtetit LUDOVICUS, eaque vox digna Chriſtianiſſimo Principe audita eſt: dummodo Religio ſalva ſit,

ne-

negligendam Regni fortunam, vitam ipſam pro tam felici cauſa deſpiciendam. O dictum, quod animum non regium tantùm, ſed ſacerdotalem plane demonſtrat; ut olim S. Leo Theodoſio gratulatus eſt. Igitur, quod antea deterruerat majores ſuos ſingulari quamvis fortitudine præditos, ipſe imperterrito animo ſuſcepit, ac ſuſceptum feliciter abſolvit immortale, ampliſſimumque facinus, de quo nulla unquam ætas conticeſcet, quodque Romana Religio gratiſſimâ ſemper tanti facinoris memoriâ proſequetur. Antiquavit Nannetenſe Decretum, cæteraque omnia, quæ rem Catholicam tot annos afflixerant, redditaque Legibus in perduelles ſeveritate, piaculum, quod illæ ſibi pridem ob impenſum impiis hominibus patrocinium quodammodo contraxerant, luculenter abſterſit. Hinc ſtatim Sectariorum Templa ruinis obruta, ſuperſtitionis Miniſtri exulare perpetuò juſſi, nefarius

rius ubique cultus interdictus, Hæresis tandem lethale germen per universam Galliam stirpitus evulsum est.

Relevata est Gallia immenso malorum pondere, & quasi ab affecta valetudine recreata. Floret modò integris Christianę Fidei viribus, seseque penitus avito cultui restitutam exhibet accepti ab invictissimo Rege beneficii perenne, atque illustre monumentum. Interim, dum luget Hæresis sua Templa diruta, ereptum sibi Legum munimentum, impurosque ritus omnino labefactatos, liceat nobis læto vultu LUDOVICUM intueri innumeras, aut reficere, aut a fundamentis excitare sacras Ædes: Juventuti instituendæ amplissima Seminaria constituere: ad Apostolicum Ovile redeuntibus privilegia, annua stipendia decernere: in ea totum cura defixum conspicere, ut Religionem vehementer concussam erigat, & confirmet.

In-

Infremuit tanta clade debellata Calviniana factio, cumque injectam ſibi atrociſſimam plagam ſanare in Gallia non poſſet, in proximo Majoris Britanniæ Regno, quò ſe fere tota receperat ad ulciſcendum dolorem ſuum nullum non lapidem movit. Exarſit enim in Jacobum Regem, LUDOVICO cùm Religionis, & Affinitatis, tùm etiam amicitiæ vinculis conjunctiſſimum. Potuit e patrio illum ſolio deturbare, ſed non ita, ut Gallorum Regem ad Amici Regis injuriam vindicandam promptum, paratumque experta non fuerit, atque inde Britanno maximus gloriæ cumulus non acceſſerit; nam & ipſum LUDOVICUS regiâ excepit magnificentiâ, & liberaliſſime fovit, & claſſibus inſtructis, conſilio, & opibus juvit; quodque nemo ſatis mirari queat, nulla ſpe utilitatis oblata, maluit ejus partes, tutelamque non deponere, quàm longe graviſſima, & præviſa rerum diſcrimina

 decli-

declinare: Jacobus verò ad exemplum Christianæ fortitudinis veluti propositus, magnitudine animi tantum in adversa fortuna sese extulit supra cæteros homines, quantum in prospera non potuisset; clariorque fuit exul in Gallia, quàm cùm Britanniæ populis summo cum imperio præesset.

Sed jam ad alterum Religionis hostem, qui LUDOVICI pietatem, si leviori tumultu, non leviori tamen periculo diutius exercuit Orationem convertamus. Prava scilicet Janseniani libri doctrina eò deterior in multorum mentes irrepserat, quòd aperte insectari Divinæ scientiæ Mysteria, morumque disciplinæ nuntium remittere non videbatur, quòdque ejus Præcones pietate apud hominum vulgus simulata, famam errori suo conciliare summis viribus enitebantur. Noverant enim hanc unam rem esse, qua Novitatis patroni quodam veluti lenocinio maximam

mam ſibi comparant exiſtimationem. Enimvero has ſemper artes adhibuerunt falſorum dogmatum Inventores, hisque etiam fraudibus ſe penè deceptos ab Eccleſiæ hoſtibus ſemper conqueſti ſunt clariſſimi, atque doctiſſimi Viri: cumque ſui ſimilis, ubique & omnibus temporibus error ſit, eadem principia, curſumque habeat, & iiſdem progreſſibus augeatur; non alium pariter Janſenianæ Novitatis magiſtri ſibi aditum ad ſerendum errorem aperuerunt, non aliam agendi rationem ſequuti ſunt, ut vetuſtæ Religionis decus, & integritatem excinderent. Nam parta ſibi primùm ex acri ingenio, atque nonnulla eruditione, quadam ſapientiæ laude, ab ea, quam erant Majores noſtri viam ingreſſi, diſcedere, ab illaque ſanæ doctrinæ norma, quam iidem ſapientiſſime conſtituerant, deflectere paulatim cœperunt; quibus deinde gradibus eò brevi devenere, ut ſibi licere audaciſſime arbitrarentur,

ſacras

ſacras literas in alienos, falſosque ſenſus detorquere, placita Conciliorum, veterumque Patrum ſententias contortis, & inſidioſis ſophiſmatibus eludere, certiſſimaque Sanctæ hujus Sedis Oracula, aut nequiter enervare, aut etiam impudenter infringere. Nihil vobis affero inauditum, aut novum; nihil, quod ex eorum libris perſpicue non eruatur; quod in maxima hominum luce, & in totius potiſſimum Galliæ conſpectu poſitum non fuerit. Nec tantùm illi peſtiferæ doctrinæ Duces ad rem Catholicam turbandam vires, fraudesque ſuas contulerunt; ſed eandem cauſam mordicus plures ignari, ac rudes homines amplexi ſunt, qui aut præpoſtera illorum exiſtimatione decepti, aut novarum rerum illecebris, ſeu etiam ſpe fortunæ melioris excitati, ſacrâ ſcientiâ non minus arroganter, quàm impie abuſi ſunt.

Quas utique turbas hujuſmodi Mortalium genus non commovit in Gallia, & quot

quot præterea non commoviſſet, quibusque mortiferæ doctrinæ flammis Chriſtianiſſimum Regnum non conflagraſſet; niſi LUDOVICUS incendium Calviniano haud impar, admota manu valide compreſſiſſet? Quid enim? Ubi de novis Janſenii, ejusque gregalium opinionibus rumor percrebuit, an non eas ad ſupremum hoc Orthodoxæ Fidei Tribunal deferendas curavit, paratus de ipſis judicium ſequi, quod Petrus per Romanum Pontificem pronuntiaſſet? An non ſaluberrimam Innocentii X. ſanctionem, qua penitus everſæ fuerant, incredibili veneratione complexus eſt, & regalis Brachii robore confirmavit? quod ſi nonnulli Hæreticorum morem ſequuti effugiis, doloque malo concuſſam tanto præjudicio cauſam retinere adhuc poſſe ſibi perſuaſere, quàm pie, & prudenter laboravit, ut ſummus Eccleſiæ Judex, & Magiſter teſſeram Fidelibus daret, qua probi a male ſentientibus

h

tibus dignoſcerentur, ac repetitis ictibus inquietam errandi licentiam non modò compeſceret, ſed omnino contunderet. Quoniam verò ea vis ineſt Principum exemplis, ut plures imitatores habeant, dici non poteſt, quibus inde ſtimulis excitare ſeſe ſenſerint Gallicani Antiſtites, ut ad extirpandum peſſimum erroris germen omnes Paſtoralis vigilantiæ nervos contenderent. Aderat illis Rex, & aſſidua cohortatione nunquam illos urgere ceſſàbat, novis ſemper ſubſidiis inſtruere, & confirmare. Profectò ſi velimus omnia recenſere, quæ a LUDOVICO ad hanc obtinendam rem adeo ſalutarem præclariſsime geſta ſunt, nihil eſt, quod ad immortale ſui nominis decus ſplendidiùs unquam præſtare potuerit. Conſulite quotquot in Gallia ſunt ſupremorum Senatuum codices: quæ leges ab ipſo editæ non ſtatim in omnium oculis erunt, quibus reluctantes ſanctiſſimis hujuſmodi De-

Decretis, inflictis pœnis coercerentur? Evolvite Acta Cleri Gallicani: nulla fere pagina LUDOVICUM aut Janseniani, pravique dogmatis oppugnatorem, aut sani, verique assertorem non exhibet. Lustrate sacræ Parisiensis Facultatis monumenta: in eo totum fuisse LUDOVICUM comperietis, ut illam ab hoc veneno defenderet, putridaque ipsius membra rescinderet. Non satis tamen vindicandæ Religioni adhuc esse consultum judicavit sapientissimus Princeps, nisi firmis adeo, tutisque præsidiis eam communisset, ut ne futuris quidem temporibus de florentissimo Statu convelli posset. Optime nimirum gnarus, Divinisque monitis edoctus, hominum mores tum sacrorum Pastorum vocibus, tum etiam Principum exemplis ad synceram Pietatem formari, quis verbis assequi possit, qua opera, qua perspicacia, qua demum solicitudine curaverit, ut ii duntaxat regendis

dis Ecclesiis præficerentur, qui studio nullius Novitatis abrepti, singulari doctrina, & vitæ integritate spectati essent; simulque tales sedula, piaque institutione Regios Principes effingeret, ut quæ ipse ad Fidei tutelam confecerat, sarta illi tecta servarent.

Quare cum per singulas Regni sui Provincias pro vera Numinis Religione res tantas gesserit LUDOVICUS, quid unquam ei reliquum fuit, quo magis in ipsam studium, ac voluntatem suam posset ostendere? At quod vel ingenti plurimorum pietati satis esse videri potuisset, ei profectò non fuit. Noluit hisce licèt amplissimis officii terminis incredibile, eximiumque erga Immortalem Deum obsequium suum contineri: superare jussit Galliarum fines, totumq; terrarum Orbem percurrere. Hanc postremam regiæ laudis partem, etsi brevioribus verbis, ut me temporis angustiæ cogunt, nunc dicendam suscipio.

Quod

Quod ſi ad perdomandam impietatem non comparatos exercitus, non prælia cum barbaris Nationibus commiſſa ſum allaturus, (quamquam poſſem Cretenſem, aliasque glorioſiſſimas expeditiones adducere) nolite quæſo reputare Chriſtianæ rei minus utilitatis acceſſiſſe LUDOVICI ſolertiâ, opibus, exiſtimatione, quàm, eo medias inter acies fulminante, redundare potuiſſet. Scilicet haud raro Barbarorum mentes lenitate, ac manſuetudine faciliùs ad humanitatem, & Religionem flectuntur, quàm terrore, atque armis. Peragrate animis veſtris quamcumque vultis terrarum partem; nullam reperietis, quò tanti Principis ope Fidei noſtræ myſteria ad incultarum Gentium cognitionem deducta, vel honoribus ornata, vel liberiori curſu provecta non fuerint. Animum ad Europam convertitis? Græcia confeſtim occurrit, exhibetque nobis complures rectæ ſatores doctrinæ

LUDOVICI ærario, ac patrocinio ſuſtentatos; quotquot ibi Romano Pontifici obtemperantes degunt, eos Regis auctoritate non modo ab hoſtium injuriis vindicatos, ſed ita conſtitutos, ut perhonorifice habeantur, reliquisque civibus munimento, & tutelæ eſſè poſſint. Cuinam verò accidat ignorare apud Heterodoxos Principes adeo LUDOVICUM gratiâ valuiſſe, ut mitius alibi cum noſtris actum ſit; alibi ſacra munera obire non prohibiti; & quum haud ſemel Catholicæ Urbes in Hæreticorum poteſtatem venerunt, an non eo curante veram ſumma cum libertate Fidem retinuerunt? Cogitatis Americanas Inſulas, illasque remotiſſimas oras propemodum naturæ ignotas? In eas legavit, ſuis opibus aluit, ædibus non uno in loco donavit Euangelii Præcones: ibi Templa conſtruxit, ornavit Aras, ſacrorum Rituum decori conſuluit. Venit in mentem Africa? Dedit Ægypto Sacerdotes,

dotes, qui aut ſchiſmate disjunctos cum Romana Eccleſia reconciliarent, aut ſuperſtitionem ex illis olim ſanctiſſimis terris evellerent, aut difficilè herbeſcentem Religionis ſegetem diligenter educerent, ac propagarent. De revocanda ad Chriſti Ovile Æthiopia ſæpius cogitavit; nec deſtitit rei gerendæ inire conſilia. Tuneti, Juliæ Cæſareæ, per omnem Mauritaniam ejus metu permiſſum, ut Catholici in ſervitutem adducti liberiùs, ac tutiùs poſſint Apoſtolicam Fidem nullo Nationum diſcrimine profiteri. Si verò de Aſia, immenſoque illo terrarum ſpatio inſtituatur ſermo, quî fieri poteſt, ut Oratione complectamur, quàm longe, lateque per id locorum effuderit ſeſe ingenioſa Chriſtianiſſimi Regis pietas! Nam & ad ſibi comparandam Sinarum Principis amicitiam, qua deinde ad Idolorum exitium uteretur, ad eum plures tranſmiſit doctiſſimos Viros, ut ipſum, eamque gentem diſciplinis

nis imbuerent, quibus exculti citius mentis oculos ad Christianæ veritatis lucem aperirent. Et ne quidpiam ad sanctam Legem tradendam, evulgandamque deesset, plerosque sacrorum peritos perenni opum largitate ibidem detinuit. Id quoque sibi missa ad Siami Regem Legatione proposuit (quod tunc sane feliciter accidit) ut debitus veræ Religioni cultus in ejus Regno augeretur: hunc magnis impensis in Persarum Provinciis stabilivit: hunc Syris, ac Maronitis, obstringendo sibi annua pensione primarios earum Gentium Antistites, commendavit: hunc denique in omnibus Palæstinæ locis, ubi datæ hominum Generi salutis veneranda monumenta conspiciuntur, servavit. Meministis enim, quemadmodum erepta e sacræ Franciscanæ Familiæ manibus sacratissima Templa, quæ ferox Ottomanus Græcis a Catholico ritu alienis custodienda tradiderat, LUDOVICI indu-

duſtria, atque auctoritate ad Noſtros veluti poſtliminio reducta fuerint; firmiſſimaque ſimul lege ſancitum, ne deinceps ab iſtis avulſa unquam in Schiſmaticorum manus concedant. Quid autem de illo dicam imperio, quo ſuis apud Barbaros Principes Legatis, ſuisque maritimarum rerum per ea loca Præfectis enixe præcipiebat, ut nihil tuenda Catholica Fide antiquius haberent, eamque ob rem obſecundarent monitis, & conſiliis ſacri hujus Cœtus, cui propagandæ Fidei cura incumbit? Quæ cum tanta ſit laus, non ego tamen maximam inter illas puto, quas ſibi Rex præſtantiſſimus in amplificanda Romana Religione promeruit. Palmam tribuo ſingulari illi ſolicitudini, qua graviſſimis impeditus negotiis, de hoc unice laborare videbatur, ut ſuo conſilio, & auctoritate ubique gentium debitum Omnipotenti DEO obſequium exhiberetur. Hujuſmodi ſemper

gerebat curam hærentem animo : si qui e barbaris regionibus in Galliam se referrent Divini verbi propagatores, incredibili humanitate illos excipiebat: cum ipsis rationes inibat, quo pacto in dies magis, magisque hominum saluti provideretur: percunctabatur, num aliquas hujusce muneris partes sibi agendas relinquerent?

His tandem Pietatis suæ monumentis cumulum imposuerunt sapientissimi animi sensus, quibus prope metam attingens, anteactæ vitæ studia confirmavit. Video vos statim cogitatione ferri vel ad admirabilem illam constantiam, qua gravissimum, acutissimumque morbum sic toleravit, ut in eo cùm reliquarum virtutum, tùm verò summæ fortitudinis insigne ad Posteritatem exemplum ediderit; vel ad heroicam animi præstantiam, qua licèt fractus viribus mirifica dicendi gravitate futuræ Regni felicitati prospexit. Verùm quamvis ista maximæ omni-

omnibus admirationi esse debeant, modò missa facio. Religionis in LUDOVICO laudem prosequor, cui suprema veluti persoluturus officia, quàm illustria voluntatis huic summæ virtuti penitus deditæ argumenta præbuit! Dum enim cum ipsa morte conflictaretur, quàm multa sanctissime & dixit, & fecit! Manent animo infixæ, manebuntque semper voces illæ, quibus constantissime affirmavit, se quidem satìs vixisse, nec ab hac vita repugnantem divelli: dolere solùm, quòd cum maximopere expetiisset, ut non prius vitâ excederet, quàm paucos Galliarum Antistites a reliquorum sui Ordinis Cœtu de recèns edita Apostolica Constitutione dissidentes, ad saniora consilia revocatos vidisset, attamen voti compos non esset. Qui verò novissima decedentis verba excepere, compertum habent, quanto mentis ardore palàm professus fuerit, se per omnem vitæ cursum, Catholicam, Apo-

sto-

ſtolicam, & Romanam Fidem unice coluiſſe, ſeque ingenti ſolatio morientem affici, quod ultimum in eadem Fide diem ſibi claudere contingeret. Id unum præclariſſimis illis Viris, quos Maximo Nepoti inſtituendo præfecerat, commendavit, ut in primis Regium Puerum ſolam hanc Religionem colere, ac tueri docerent: ſcilicet non ignorabat eâ una virtute (ut Theodoſii ad hæredes ſuos poſtremis verbis utar) *& pacem conſervari, bellum extingui, hoſtem in fugam verti, trophæa erigi, & victoriam denique conſtare*. Qualem itaque Catholici, incorruptique Dogmatis vindicem, atque propagatorem ſibi pridem Eccleſia fuerat pollicita, quum LUDOVICUM Divino munere accepit, talem profectò experta eſt. Quid enim illi inter tot, ac tanta, aut Naturæ, aut Fortunæ, aut Virtutis ornamenta datum fuit, quod ad ipſum amplificandum, ornandumque ſibi datum

Theodoret. Hiſt. lib.5. c.25.

datum eſſe, non fuerit arbitratus? Quid ſibi gloriæ, laudis, vel auctoritatis unquam peperit, quod Religionis utilitati non conſecraverit? Quòd ſi quis Conſtantino Magno LUDOVICUM veræ Fidei cultu, atque propagatione comparare velit, facilè quoque intelliget, hiſce virtutibus, quibus eximius ille Imperator(Auguſtino docente) ad ingentem felicitatem pervenit, & hunc perveniſſe. Siquidem vel LUDOVICO nihil ad ſummam proſperitatem defuiſſe dicemus,qui amor Populi, Regni ſalus, ſuorumque temporum decus fuerit appellatus. Quapropter hoc uno, ni fallor, Ætas noſtra non tam poteſt in omni genere laudis cum Antiquitate certare, quàm in multam apud omnem Poſteritatem invidiam adduci. Tanto igitur Principis exemplo Mortales diſcant, optimum inter ſe coire poſſe fœdus ſtudium Religionis, & Regni felicitatem, redditumque Numini obſequium

 cum

cum Regia Majeſtate bene, ac luculenter componi. Quæ cum ita ſint, reliquum eſt, ut DEUS Optimus Maximus in LUDOVICO XV. avita hæc decora nobis quàm diutiſſime ſervet. Creſcat Rex inclytus; augeatur ſapientiâ Patris, lenitate Avi, Proavi gloriâ; iisque præſtantiſſimis laudibus ſic adoleſcat, ut, ſapientiſſimo Galliarum Rectore adnitente, tum Imperii moderatione, cultuque bonarum Artium, tum maximè ſtudio Catholicæ Fidei tuendæ, & amplificandæ, optimi, & Chriſtianiſſimi Regis formam exprimat, totumque LUDOVICUM XIV. perfectiſſime repræſentet.

